

382

380

386

376

391

371

431

331

481

281

Ende

Anfang

371

et Italiā ab Alemanniā dividunt. O quam laetabar animo Ale-  
manniam meam videre! Olim quidem prudentia, potentia, divitiis  
exilem, nunc autem claris operibus non tantum aequalem, sed  
loquacem superare Graeciam, superbam antecedere Italiam et  
contentiosam premere Franciam. Quam verum est illud poeticum:  
Dulce natale solum, quod immemores non sinit esse sui! Et potui  
dicere:

Saepe peregrinas evagans transmissus in oras,  
Regrediens patriae moenia jam video.  
Dulcis ave natalis humus, tu Suevia felix,  
Inclita urbs tu Ulma, nobile palladium.

Ad socium autem meum dixi: ecce, domine Johannes, limen  
patriae et terrae meae nunc video, nam montes istos, quos hic  
in mari cernimus, fratres mei in conventu Ulmensi per fenestras  
dormitorii intuentur et sereno aëre cottidie vident. Iste est the-  
saurus, quem ambo in hoc monte invenimus, scilicet aspectum  
terminorum terrarum nostrarum, quam dulcis autem sit intuitus  
proprii soli et memoria, vide supra Fol. 48 et Fol. 112. Igitur  
cum ad horam in promontorio fuissemus, ab alia parte, ubi terra  
continens est, descendimus per petras et frutices et in villam  
Muters dictam venimus, et plena erat galeotis de navibus, qui  
omne vinum et omnem panem et omnes gallinas et omnia ova,  
et fructus emerant, nec frustum panis poteramus nos invenire.  
In capellam autem, quae in villa est, transivimus et fusa oratione  
in galeam reversi sumus die advesperascente.

Tertia die, quae est octava sancti Johannis evangelistae, mu-  
tato aëre in melius, naves extra portum illum educebantur, et dum  
in latum maris venissemus, subito terribilis affuit fatus, cui sub-  
traxerunt vela, et statim cessavit, et restitutis velis cursu veloci  
ad Jadram, civitatem veterem Dalmatiae destructam venimus; fuerat  
enim quondam regis Ungariae eique se opposuerat, rex autem dissim-  
mulavit usque ad festum S. Simeonis senis, in quo omnis populus  
a minimo usque ad maximum cum cruce extra civitatem consue-  
verat procedere ad ecclesiam praedicti Sancti in ejus festo, quod  
est die 8. Octobris. Cunctis ergo in ecclesia extra manentibus  
suam urbem rex cum suis intravit et super eam irruit, inventos  
occidit, domos exussit, muros destruxit et abiit. Jadrenses autem  
derelicto loco exustae civitatis aedificaverunt novam civitatem juxta  
ecclesiam S. Simeonis minutam et pulchram super littus maris.

24 \*

